UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

133. An in peccato sodomiæ teneatur quis exprimere in confessione, an fuerint agens, vel patiens, vel gradus cognationis carnalis? Et an peccata omnia contra naturam sint unius speciei infirmæ, & non ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76393

Visual Library

chare filios, quos plurimum Eccleſiæ profuturos ſperant: quia talis caſtratio eſt intrinſecè mala, cùm nemo ſit dominus membrorum ſuorum; & mala non ſunt facienda, vt inde eueniant bona: & varia animæ pericula hinc conſequi ſolent, cùm tales ardentiùs libidine inflammantur, & ad concubitum impatientiſſimè feruntur: & bonum illud, vt ſuauiùs canant in Eccleſiis, tanti momenti non eſt; vt ob id res à natura per ſe tam aliena ſuſcipiatur; nec pro ſalute ſpirituali, aut periculo animæ vitando id licitum eſſe conſtat: non eſt ergo audiendus Salonius.

## RESOL. CXXXI.

*An qui contra naturam peccauit cum mare, vel fœmina, vel cum beſtia diuerſæ ſpeciei, debeat explicare circumſtantiam maris, vel fœminæ, aut beſtiæ huius, vel alterius generis?* Ex part. 1. tractat. 7. Reſolut. 2.

§. 1. Reſpondeo negatiuè, ex doctrina Caietani *quæſt. 3. de Confeſſ.* & aliorum: quia ſpecies illæ ſpecialiſſimæ, quæ ſolùm differunt in genere entis, & naturæ, & non in genere moris, & malitiæ, non ſunt confitendæ, ſicut eſt diuinatio per terram, per aſtra, per aquam; item, peccatum æquale in potu, vel eſu carnium, vel aliarum rerum: item, furtum auri, panni, argenti, &c, non dicunt niſi vnam deformitatem formalem in genere moris: & propterea, neque iſtæ ſpecies ſpecialiſſimæ, neque circumſtantiæ materiales ex parte entis ſunt neceſſariò confitendæ. Eodem modo dicimus de peccato contra naturam, non eſſe neceſſe confiteri circumſtantiam maris, vel fœminæ vnius, aut alterius generis beſtiæ: ſed ſufficit dicere: Peccaui in ſodomia toties: in beſtialitate quater, &c. Et ita publicè docuit, hîc Panormi, quidam Theologus Societatis IESV, licèt Tannerus (quod mihi magis placet) contrarium doceat, quoad ſodomiam *in 2. 2. tom. 3. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 6. num.* 146. & ante illum Zanard. *in direct. part. 2. præcept. 6. c* 9.

## RESOL. CXXXII.

*An quis in confeſſione teneatur explicare, ſi ſodomia fuerit commiſſa cum maſculo, vel cum fœmina?*
*Et quid, ſi circumſtantiam fœminæ vellet aperire propter reſeruationem, ne videretur incidiſſe in caſum Sodomiæ reſeruatum?* Ex part. 8. tractat. 7. & Miſc, Reſ. 86.

§. 1. Affirmatiuè reſpondet Bonacina *de Matr. q. 4. punct.* 11. *n.* 7. ſed mihi magis placet opinio negatiua, quam nouiſſimè docet Mazuch. *tract. de caſ. reſer. diſp. 2. c. 22. diffic. 1. n.* 24. licèt enim concubitus iſte cum fœmina non ſit propriè Sodomia, vt alibi ſatis docui, tamen cùm ad ſodomiam reducatur, ideò ſatisfaceret pœnitens dicendo: Peccaui contra naturam; niſi verò circumſtantiam fœminæ vellet aperire propter reſeruationem, ne videretur incidiſſe in caſum ſodomiæ reſeruatum.

## RESOL. CXXXIII.

*An in peccato Sodomiæ teneatur quis exprimere in confeſſione, an fuerit agens, vel patiens, vel gradus cognationis carnalis?*
*Et an peccata omnia contra naturam ſint vnius ſpeciei infimæ, & non ſubalternæ?* Ex part. 3. tract. 4. Reſ. 158. aliàs 159.

§. 1. Reſolutionem horum dubiorum apud paucos inuenies, quæ tamen, faxit Deus, vt ſæpiùs in praxi non occurrant. Et ad primum negatiuè reſpondet noſter Pater Alphonſus de Leone *in tract. de officio, & poteſtate Confeſſarij, part. 1. recollect. 9. num.* 216. & 218. vbi ſic ait: Ego dicerem, ſaluo meliori iudicio, non eſſe neceſſariò exprimendum an fuerit agens, vel patiens, quia tale peccatum eſt eiuſdem ſpeciei, & ideo quia magis graue eſt peccatum agentis, quàm patientis, ideôque maiori pœna punitur, non autem ſequitur eſſe diuerſæ ſpeciei, cùm magis, & minus non varient ſpeciem. Ita ille. Si quis ergo verecundiam haberet confitendi, ſe in actu ſodomitico fuiſſe patientem, ſufficit vt dicat: Toties ſodomiam exercui.

Sup. hoc in tribus Reſol. ſeqq. & inf à in Reſ. 163. §. Quæro ſecundo & ſup. in Reſ. 128. in fine, & in to. 2. tr. 6. Reſ. 114. §. Nota vero, & ſeq.

2. Ad ſecundum dubium ſupradictus auctor *ibid. num.* 224. etiam negatiuè reſpondet, docet enim copulam ſodomiticam inter cognatos mutare ſpeciem, quando illi inuicem ſunt tales in linea recta; in linea verò tranſuerſali, circumſtantiam aggrauantem; non eſſe tamen in vtroque caſu gradum cognationis carnalis exprimendum, quia in inceſtu probabile eſt nullum gradum mutare ſpeciem, & in tali copula non commiſcetur caro, nec contrahitur affinitas; ſed de hoc dubio etiam alibi à nobis actum eſt.

Alibi infra in Reſ. 137. &c.

3. Notandum eſt etiam hîc obiter cum Filliucio *tom 2. tract. 30. cap. 7. num.* 131. & aliis, probabile eſſe quòd peccata omnia contra naturam ſint vnius ſpeciei infimæ, & non ſubalternæ; licèt contraria opinio ſit magis probabilis.

Sup. hoc melius, & magis latè in to. 8. tr. 6. Reſ. 20. §. 1. & in aliis eius nor. & infra in Reſ. 135. §. 1. poſt mediũ, verſ. Demas.

## RESOL. CXXXIV.

*An in peccato Sodomiæ pœnitens teneatur explicare ſe fuiſſe patientem?* Ex part. 6. tr. 6, & Miſc. 1: Reſ. 36.

§. 1. Affirmatiuam ſententiam docet Pater Lugo *de Sacrament. Pœnitent. diſputat. 16. ſect. 5. num. 1. & num.* 243. quia ex parte agentis interuenit pollutio propria, quæ non interuenit ex parte patientis: diuerſum autem peccatum ſpecie eſt, voluntariè pollui, vel ſolùm cooperari pollutioni alterius: aliud enim eſt cohibere delectationem propriam illicitam, & aliud non procurare alienam. Et quamuis etiam ipſe patiens habeat aliquo modo tactum impudicum, & delectationem turpem (quod tamen non videtur quoad delectationem vniuerſaliter verum) negari tamen non poteſt pollutionem ipſam diuerſam malitiam explicandam afferre ſupra ſimplicem tactum impudicum: qui enim ſine intentione aut periculo pollutionis tangeret, propter turpem ſolam delectationem tactus, non contrahit malitiam, quam contrahit, qui ex intentione pollutionis id facit. Vnde iſte debet explicare peccatum pollutionis quam procurauit & habuit. Ergo de primo ad vltimum in peccato Sodomitico agens debet explicare circumſtantiam illam propter malitiam ſpecie diuerſam, quam affert. Ita Lugo. Vbi obſeruat, quòd ego videor ſententiam negatiuam approbare *in part. tert. tractat. 4. reſolut.* 159.

Sup. hoc in Reſ. præterita § 1. & infrà in duabus Reſ. ſeqq. & in Reſ. 163. §. Quæro ſecũdo. & ſup. in Reſ. 128 in fine, & in to. 2. tr. 6. Reſ. 214 à §. Nota vero.

2. Sed hanc ſententiam Romæ approbatam eſſe mihi conſtat à doctiſſimo Patre Nicolao Riccardi Magiſtro ſacri Palatij Apoſtolici: interrogatus enim de hoc caſu negatiuè reſpondit. Et hanc opinionem tenet nouiſſimè Zambellus *in Reper. Mor. ver. Abſolutio, num.* 43. Lupus *de caſibus reſer. part. 2. caſ.* 10. *n.* 22.

Quæ hic eſt Reſ. antecedens.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN